



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLVII. De Electione, & Mißione septuaginta Discipulorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

num Pastorem esse, & quomodo se talem erga te exhibuerit; considera nunc officium bonæ Oviculæ in duobus consistere 1. ut præeuntem per Imitationem sequatur. 2. ut Vocem, Doctrinam, & Monita ejus audiat, agnoscat, & exequatur. Alienos autem, five dæmones, five homines, abducentes ab Exemplo & Doctrina Christi, fugiat.

MEDITATIO CCCXLVII.

De Electione, & Missione septuaginta Discipulorum. Luc. 10. v. 1.

PUNCTUM I. *Posthæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Luc. 10. v. 1.* Cùm tantùm sex menses Vitæ Christo superessent, & proinde diu in eodem loco morari non posset, pro Conversione Judææ elegit sibi omnino LXXII. Discipulos, qui animos populi Judaici disponerent, & præpararent ad Christum, & ejus adventum, Doctrinamque suscipiendam: Sicuti idem Lucas cap. præcedenti refert, initio Prædicationis maximè pro Galilæa duodecim Apostolos electos, & cum iisdem monitis ac præceptis hinc inde binos præmissos esse. Considera itaque ingens Beneficium tum illis obveniens, qui pro Conversione, & Salute aliorum eliguntur, & designantur per specialia Dona & Gratiæ, quibus tanto muneri idonei reddantur: tum illis, ad quos hujusmodi nuncij à Christo præmittuntur. Unde pro hoc Beneficio etiam rogari vult, dicens: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat Operarios in messem*

messam suam. Luc. 10. v. 2. Utrumque hoc Beneficium tibi præstitum est; quia & ipse Vocatione ad huiusmodi Statum designatus es, & per multos nuncios ad Christi adventum, & Evangelicam Doctrinam præparatus: & adhuc frequenter mittit DEVS nuncios, qui animum tuum disponant ac præparent, ac tequam ipse in Oratione tibi ad cor loquatur, per Gratiam suam ingrediatur, vel per Sacram Communionem suscipiatur. Cura, ut semper dignus & præparatus sis, sic venientem recipere.

PUNCT. II. *Reversi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in Nomine tuo.* Luc. 10. v. 17. Et ait illis: *Veruntamen hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cælis.* v. 20. Quia enim nihil prodest homini, si mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patitur: ideo non tam de subiectione & expulsionem dæmonum ex corporibus & animabus hominum lætandum est, quàm si ipse homo suas passiones, & suum appetitum rationi subijciat, & ratio subiecta sit DEO, ut nomen ejus scribatur in Cælo, in Libro Prædestinatorum, sive in Mente DEI. Deinde etiam confidera, si dæmonia in Nomine Christi subiecta fuerint hominibus; quantò magis homo propter Christum subijciatur homini, vice & Nomine Christi imperanti? Et quantò magis subijciatur DEO imperanti, vel prohibenti? Denique si non est gaudendum, quia Spiritus subijciuntur nobis; quantò minùs est gaudendum, si homines subijciuntur nobis? Ne ergo cupiat ulli homini præesse, sed tantùm subesse.

PUNCT. III. *Et conversus ad Discipulos suos dixit*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt. v. 24. Loco vani gaudij Discipulorum aliam lætandi causam ostendit Christus, ob quam Regibus & Prophetis ipsos beatiores pronunciat. Ea enim, quæ vident, aut viderunt Reges, aut periculosa sunt; ut patet ex 2. Reg. 11. v. 2. quando David *Vidit mulierem se lavantem, quæ erat pulchra valde*: aut vana; unde idem Rex precatus est DEVM Ps. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Ea autem, quæ viderunt Prophetæ, & propter quæ etiam *Videntes* appellabantur, fuerunt aut longè posita, aut parùm sæpe utilia ad propriam illorum Salutem, aut solùm ænigmatica, umbræ scilicet & Figuræ Mysteriorum Christi. Verùm Discipuli Christi viderunt oculis corporis Humanitatem Christi, ejus sanctissimos Mores, Virtutes, Mysteria, Miracula: auribus exceperunt illius Sanctissima Dogmata, Monita, Consilia, Præcepta, & *Verba Vita Æterna*. Oculis autem, & auditu mentis datum est ipsis nôsse hæc Mysteria. Quia verò oculis facta visio parùm prodest, & sine hac plus prodest mente concepta, testante Christo: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Joan. 20. v. 29. ideo agnosce tuam Beatitudinem, qui, quæ Discipuli viderunt & audiverunt sensibus corporis, ea clarissimè vidisti, & audivisti sensu mentis. Si tamen hac Beatitudine frui vis, recordare illius, quod alibi Christus dixit: *Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud*. Luc. 11. v. 25. Unde S. Jacobus in Epist. c. 1. v. 22. ait: *Estote autem factores Verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos*. Quòd si etiam corporalis

vifionis & auditionis Beatitudinem participare desideras, memento, quàm multa, & præclara Virtutum Christi Ectypa videris, & adhuc videas, præsertim in Statu Religioso, & quàm multa auditu perperis: quæ si opere exequaris, in hac, & in altera Vita Beatus eris.

Annotatio.

Hucusque series Evangelicæ Historiæ creditur esse certa. Sequens verò est solummodo probabilis.

MEDITATIO CCCXLVIII

*Christus hortatur ad Doctrinam
& Perfectionem Evangelicam.*

Matth. 11. v. 25.

PUNCTUM I. *In illo tempore respondens IESVS discipulis* (S. Lucas c. 10. v. 21. ait: *in ipsa hora, quâ scilicet electi septuaginta duo Discipuli ad Christum ex Predicatione reversi sunt*) *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus* (qui scilicet Mundo, & sibi per superbiam tales videbantur) *& revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Matth. 11. v. 25. *Ecce! Pater Cælestis laudatur à Christo, non tantum, quia Divina Mysteria revelavit parvulis, scilicet humilibus Apostolis, & plebeijs hominibus; sed etiam, quia eadem abscondit à superbis sapientibus, & prudentibus. Sic etiam B. Virgo in Cantico Magnificat Luc. 1. v. 52. laudat DEVM, quia Deposuit potentes de sede, & exaltavit Humiles. Semper enim DEVS superbis resistit; Humilibus*